


**05**

**A**

**1767**





EXERCITATIO PHYSICA, . 12

De

Phantasia ejusq; Vi-  
ribus admirandis,

Quam

SUPREMI NUMINIS GRATIA ANNUENTE

*In inclyta Leucorœa*

SUB PRÆSIDIO

*Viri Clarissimi, Doctissimi & Eximii*

Dn. M. JOHANNIS Sperlings

Lauchâ-Thuringi, Præceptoris & Fautoris  
sui plurimum honorandi,

*Publicæ ventilationis causa ad placidam*

*συζήτησιν proponit*

GODOFREDUS GERITIUS

Bregâ-Sil.

*Ad diem 19. Martij horis antemeridianis.*

*In Acreoaterio Philosophorum.*

---

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTHII, Acad. Typogr.

ANNO MDCXXXI.



05 A 1767





## PRÆLOQUIUM.



*M*ateriam, ex intimis Naturæ  
 visceribus erutam, propinamus, eam scilicet,  
 qua est de PHANTASIA, ejusque  
 VIRIBUS ADMIRANDIS. Sane, de  
 Phantasia multa totus garrire novit Mun-  
 dus, sed cum ista ad normam, Naturam  
 dico, à veritatis indagatore revocantur, mera sunt sepi-  
 me cerebri phantastici phantasmata. Non enim per ver-  
 tos bauriri, gaudet sapientia, sed alto immersa puteo, sudo-  
 re laboreq; multo à paucis, quos æquus amavit Juppiter, vult  
 produci. igitur, missis vulgi figmentis, quenam inter erudi-  
 tos heic nata fuerint litigia, memorabimus, & quid verum  
 falsumq; monstrabimus. JOVA JIVA!

### THESIS I.

A primo, quod dicitur, ovo rem ordientes, in frontispicio de DEFINITIONE sumus solliciti. Ορισμός enim μεγάλην ἔχει ῥοπὴν πρὸς τὰ ἐπόμενα, inquit Philosophus 1. Ethic. cap. 7. Unde & indigitatur ἀρχὴ ἀπάντων. 2. poster. l. cont. 72. Et sine definitione, aliquid agere in litteris, est χερσὶν ἀντίπρως agere.

II. Cum verò δύο sint ἰδέαι τῆς ἀληθείας, τῆ τε ὀνόμα-  
 τος, τῆ τε πράγματος, (teste Clem. Alexandrino:) facile colligere est, πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν primum examinanda venire vocabula. Hæc enim sunt signa, formas rerum exprimentia, & definitiones quædam brevissimæ, absolutissimæ.



III. In Nominis definitione ergò spectamus tria. 1. Ἐτυμολογίαν. 2. Ὀμωνυμίαν. 3. συνωνυμίαν.

IV. Quo ad Etymologiam, Phantasia vocabulum Græcum est, notatque *visum*: cum scilicet imago rei, ita representatur animo, ut eam oculis quasi cernere videamur. Est verò Φαντασία à verbo Φαντάζω, quod est adparere facio: Φαντάζω autem est ex Φαίνω, in lucem profero: Φαίνω derivari putatur à Φάω, luceo, ut ex Φάω fiat Φαείνω, ex Φαείνω Φαίνω, sicut ex αείρω αἶρω.

V. Ὀμωνυμίαν quod concernit, (vox enim Phantasiae est una ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων) non heic eam pro aberratione mentis & iudicii acceptamus, quo sensu stultum, & insanum vocamus, hominem Phantasticum: sed pro secundo sensu interno, juxta sententiam communiter receptam.

VI. Ὀμωνυμίαν insequitur Συνωνυμία: nominatur enim Phantasia modò *imaginatio rerum animo insipientium*; modò *perceptio*; modò *species quae animo concipitur*; modò *visio*; modò *opinio*; modò aliter ab aliis.

VII. Absolutâ, & enucleatâ Definitione Nominali, rectâ nos adcingimus ad Realem Definitionem, quæ sic sonat: *Phantasia est sensus internus, species à sensu communi ad se dclatas, diutius retinens, & diligentius examinans.*

VIII. Genus exprimitur, voce *sensus interni*. Phantasia enim species suas non immediatè ab objecto materiali habet, nec etiam in exteriori corporis parte recipit: sed species, per sensus externos allatas, in cranio recipit, censet & dijudicat.

IX. Differentia sumitur 1. ab *Objecto*. 2. ab *Officio*.

X. *Objectum* sunt species, à sensu Communi communicatæ. Notandum enim est Sensum Communi 1. omnes sensuum exteriorum species recipere. 2. illas & à se invicem, & à communibus discernere: circa has ergo etiam Phantasia, pro ratione suâ, versatur.

XI. Non tamèn heic exclusas volumus species, quas Marte proprio fingit & pingit Phantasia. Illas enim è speciebus,

bus, quas antea à Sensu Communi accepit, producit, nunc addendo, nunc subtrahendo, pro placito: ergo cum phantasma, quodcumq; tandem sit, à sensibus Externis, mediâte Sensu Communi, suam traxerit originem, species hæ posteriores per priores connotantur.

XII. *Officium* ejus est, *species diutius retinere, & diligentius examinare.* Quilibet enim sensus cognitionis, ergo animalis est concessus, igitur Phantasia species receptas non protinus propellit, sed ut notitiam sensualem eliciat, eas & diutius retinet, & diligentius examinat.

XIII. Valdè heic agitari solet Controversia, de *Subiecto in quo, sive organo Phantasiæ.* Non pauci autumant, Sensus Internos in cerebro certis sedibus distingui; ideoque Sensum Communem in anteriori, Phantasiam in mediâ, memoriam, verò in posticâ, cerebri parte, collocant. Contra verò Galenus dissentit, internosque sensus omnes, per totam cerebri substantiam, diffusos esse, ibique operationes suas exercere, non disclusos ventriculis certis, defendit. Et consentiunt cum Galeno Neoterici plerique, Fernelius puta, Vallesius, & alii. Nos, quid heic statuendum, aut cui subscribendum, vix videmus. Interim ut nos, ex his, plus quam Seriphi angustiis, expediamus, ad *Excellentiss. Dn. D. Sennertum, Præceptorem nostrum, perpetim venerandum,* confugimus, qui hac de re ita: *Etsi difficile est hic aliquid statuere, & omninò consistendum sit, nos hic hæere in limo, hoc est, in natura tenebris, universo generi humano communibus: tamen si quid omninò statuendum est, mihi eorum sententia probabilior videtur, qui sensus internos, omnesque anime principes operationes, sedibus discludendas non esse statuunt &c. Libr. I. Instit. Med. cap. 13.* Hoc ergo tanquam filum quoddam Ariadneum nos amplectimur, dicimusque, Phantasiam, nullo modo distingui loco, ac Subiecto, à reliquis sensuum facultatibus. Præter auctoritatem verò etiam ratio his adstipulatur. Nam totum cerebrum mediocriter humidum est. Ergo & ubique recipiendo, & conservando, cunctis facultatibus inservire poterit. Deinde dantur adfectus, in quibus sola cerebri substan-

etia laesa, non secundum partem determinatam, sed tota, modo ratio laeditur, modo imaginatio, ut fit in Phrenitide, & Melancholia per essentiam. Insuper Spiritus Animalis, qui est instrumentum facultatum principalium, diffusus est per totam substantiam cerebri. 7. de plac. 7. Quid igitur obstat, quominus & ipsae per totum diffusae sint?

XIV. Nec est quod aliqui objiciant, *lesâ saepe unâ facultate, alteram manere, salvam, saepe enim aboleri memoriam, salvâ tamen manente Phantasiâ & contra.* Respondet his idem Excellentiss. Dn. Sennert. ibid. *Etsi verò una facultas laedi potest, salvâ manente altera: id tamen non tam fit ob diversitatem organorum, & partium cerebri, à quibus illae actiones obeuntur, quam mutationem dispositionum propriarum; atque eorum quae ad actiones illas obeundas requiruntur &c.* Interim tamen hoc concedimus, quod una pars cerebri receptioni, altera verò conservationi sit accommodatior. Sed cum notum sit in Philosophiâ, quod *magis & minus non variant speciem*, ideo non video, cur Phantasiae separatam classem assignemus, eamque certo, certi ventriculi, spacio, includamus. *Entia enim temerè non sunt multiplicanda.*

XV. Hæc de Phantasiae quidditate sufficient: sequuntur VIRES ejus, quæ omni tempore, omnis ordinis homines, ad summum trahere quiverunt stuporem. Hæc stylo & filo paululum uberiore progredi lubet, ob rei & amœnitatem, & utilitatem; addo, & necessitatem. Ferme enim hodie res eò devenit, ut, qui dogmata absurda, aut saltem minus probabilia, adferre non dubitant, ad Vires Imaginationis, velut asylum tutissimum, sacraque ancoram recurrant. Igitur quid valeant portare Phantasiae humeri, & quid ferre recusent, videbimus in posterum.

XVI. Quemadmodum vero fieri solet ut plurimum, ut vel in defectu vel in excessu, etiam è Jovis cerebro formati, & Mercurii manu elaborati, peccent: ita & hæc pars ad defectum, pars ad excessum inclinavere, inclinant've. Sunt enim, qui planè divina, humanaque menti impossibilia effecta, Phantasiae



raſia adſcribunt, adeoque miracula præſtare eam poſſe, adfir-  
mare non erubescunt. Sunt pariter, qui è diametro quaſi his-  
ſeſe opponunt, & non ſolum Phantaſticos iſtos homines, cum  
divinâ illâ Phantaſia planè irrident, & ſubſannant, ſed exorbi-  
tantes nimirum omnem omninò vim, omneſque operationes  
& effectus manu parùm liberali iſti eripere conantur. Ergo

— *medium tenuere beati!*

XVII. Medium ergo arripimus: cùmque facilius ſit  
arripere quid, quàm arreptum, contra inſultus quosvis, virili-  
ter defendere, non ſaltem pro ancora quaſi, & ſtatera, iſtud  
medium tenebimus: ſed & arma utriuſque cohortis perlustra-  
bimus, & *quid, ac quatenus poſſit Phantaſia, quidve, & quatenus  
non poſſit*, pro conditione materiae præſentis videbimus de-  
monſtrabimus.

XVIII. Qui ſimpliciter negant, Phantaſiam, præter  
nudam potentiam imaginandi, poſſe aliquid agere, in mutan-  
dis corporibus, tam propriis, quàm alienis, nullam planè fi-  
dem habentes iis, quæ aliàs de effectis, & facultatibus Phanta-  
ſiæ proferuntur: nã id, quod manibus palpamus, oculis vide-  
mus, auribus percipimus, in dubium vocant; adeoq; planè ſen-  
ſum dimittunt in iis, quæ tamen ſenſibus ſunt obvia. Certè  
etiam tonſoribus atque lippis hoc notum eſt. Nam quis non  
videt, quàm ſæpè & frequentèr contingat, ut mulierculæ tem-  
pore, ſeu conceptionis, ſeu geſtationis, fœtum ſuum variè ſi-  
gnent, ipſi maculas & imagines rerum plurimarum inuren-  
tes. Sed unde iſtæ? Herclè ex Phantaſiæ conceptibus. Quis  
non audivit cum ſtupore, & commiſeratione, multos, timore  
peſtis, incidiffe in illam? unde iterum hoc? Iterum dico, ex for-  
tiſſima Phantaſiæ operatione, quæ dum virus iſtud, intentâ ani-  
mi cogitatione, ſibi præconcepit, metum ſuſcitavit iſthoc  
conceptu, & metus iſte poſtea internè latens virus movit, &  
detexit. Ut ſicco prætereamus pede ſexcenta exempla alia.

XIX. Primò omnium verò diligentiffimè notandum  
eſt: Quod Phantaſia *per ſe, immediatè, & primariò*, nihil planè a-  
gat, & nullius, etiam ne minimæ quidem ſit efficaciz, in mu-  
tandis,

tandis, reali modo, corporibus. Quicquid enim agit, illud agit ratione *Causse Accidentalis*, movendo scilicet & excitando reliquas facultates, & potentias animæ, quæ virtute propria mutare possunt aliquid. Neque tamen volumus, quod simpliciter nihil agat per se, cum ipsa cognoscat, ista autem cognitio Philosophis sit actio realis. Ideoque distinguimus inter *Actionem Immanentem*, quæ præter cognitionem nihil planè agit, neque in proprio; neque in alieno corpore; & inter *Actionem Transeuntem*, quæ corpus aliud, aliter, atque aliter immutat. Illam, scilicet *Immanentem Actionem*, habere Phantasia affirmamus; sed non hanc, nempe *Transeuntem*.

XX. Deinde sciendum, quod Phantasia nullo modo agat in corpora, per *potentias* istas, quæ dicuntur *sensitiva, cognoscitiva & intellectiva*, ut quidam volunt. Ratio hæc est, quia eadem sunt hæc potentia, qualis est intellectus. Jam verò Intellectus nihil agit materialiter, cum sit immaterialis. Ergo & hæc potentia nihil agent materialiter, seu realiter in corpora, vel sua, vel aliena. Quidquid itaque agit Phantasia, illud agit mediatè per aliud, & primò quidem per illam facultatem, quæ dicitur *Adpetitiva*. Phantasia enim excitat adpetitum, & simul adfectus movet, ac inducit. Sic videmus eum, qui læta cogitat, lætari, & ridere; qui tristia, tristari. Nec obstat, quod dicunt *Phantasia fixam esse in cerebro, adpetitum verò in corde, non ergo fieri posse, ut, inter tam longe distitas partes, intercedat aliqua cognatio, & familiaritas*. Ἄνοπον hoc est, & nimis pueriliter dictum. Quis enim ignorat, unam animam in toto corpore esse diffusam, ibiq; multiplices edere actiones, pro spirituum natura, atque instrumentorum differentiis? Ergo utraque ista facultas erit in cerebro, utraque in corde, & utraque alibi in aliis partibus. Ergo etiam naturali subordinatione, & connectione, adeoque mutuâ amicitia, quæ est in utroque Subiecto radicata, eveniet, ut illa anima, si quando unam aliquam exerces alicubi actionem per quamdam facultatem, quæ cum alia, alibi, vinculo quodam connexa est, ut inquam illa mox excitet ibi, & efficiat aliam actionem, si opus sit.

21. Non-

XXI. Nonnulli etiam, per *Locomotivam potentiam* operari Phantasia dicunt, ideoque statuunt, inferri corpori vulnera, & concussiones nudo saltu, aut Stentorea clamatione, nimiaque motione. Isthæc tamen simpliciter adfirmare, periculosum, aut etiam absurdum videtur, propterea quod careat omni planè externâ causa, quæ ejusmodi infligere possit vulnera. Et licet *Somnambulones* objiciant, illosque etiam, per *Locomotivam*, à Phantasiâ excitatam agere aliquid adfirmant: adserimus tamen, hoc rursùm fieri *per Accidens*, quatenus scilicet Phantasia priùs excitat adfectus animi, qui postea *Locomotivæ* imperant, eamque huc, vel illuc, impellunt. Cùm enim Anima numquam cesset, aut ferietur, in somno quoque rerum idola, & ideas fingit sibi, aut ea, quæ ex diurnis actionibus recepit, vel etiam ex spirituum, vaporumque concursu, atque agitatione, pro humorum redundantia excitavit, rursùm adprehendit, & horum cognitione adpetitum irritat, qui statim animales spiritus commovet, eosque repellit in nervos medullæ spinalis; hinc corpus aliàs fervido sanguine, & spiritibus subtilioribus tumens, levius efficitur, ut deinde surgat, ambulet, & varia negocia tentet, atque occipiat. Et hoc etiam in Incubo pressis, Ecstasticis, item Sagis, Lamiisq; atq; Lycanthropis videre est, ut egregiè eâ de re loquitur *vir Clariss. Dn. D. Hieronym. Nymmannus p.m. in Oratione quâdam de Imaginatione.*

XXII. Inprimis verò plurimum valet illa per *Accidens*, in potentiis Naturalibus, *Attrahente, Retenente, & Expulente.* Harum enim est proprium, movere humores, atque Spiritus, quâ motione factâ, simul corpus variè adficitur, & immutatur. Si *crudelitatem & iram* consideremus, nonne illæ ex pravâ imaginatione proveniunt? Dum enim iratus, vindictæ cupiditate flagrat, eamque sibi imaginatur, & præconcepit, excandescit sæpè adeò, ut etiam sanguis largè erumpat naribus, & ita rubore suffunditur vultus ejus, ut ab eâ facie, vel lychnum adendere possis. Unde jam hæc tam subita mutatio, vel quæ est causa ejus? Certe Phantasia est, etsi non

B

proxi-

*proximè, tamen remotè, & per Accidens.* Hæc formaliter quidem includit tantum cognitionem, nihilque præterea: humores tamen dirigit; ut extra vasa sæpè fluat sanguis mediante vi & facultate expultrice. Hinc fit, ut inter sanguinem & rubrum colorem sit tanta *συμπύρεσις*. Nam rubrarum rerum crebro intuitu, & imaginatione, facilè movetur sanguis, & eo bruta quædam ita concitantur, ut in iram furoremque sæpè ruant. Optimè hoc noverunt Persæ, qui, ut legimus i. Maccab. cap. 6. cum Judæis pugnantes, succo uvæ, & mori, qui sanguini est similis, in Elephantes suos fuso, irritare eos, & in pugnam provocare soliti sunt. Scilicet Phantasia objectum rubrum, oblatam oculis, animo intentius perpendit, & componit, spiritusq; & sanguinem, propter cognationem concitat, & movet, quo motu excitatur ira, & sic sanguis tenuior factus, ad extra ruit, & conspicitur. Hinc econtra fit, ut ad intuitum sanguinis plurimi, spiritibus aliò tractis, animo deficiant.

XXIII. Huc spectat etiam, quod illi, qui Venerem., frequenter cogitant, in libidinem, & obscœnas voluptates proruant, & circa loca illa, Veneri dicata, spirituum, & humorum motum, & adfluxum sentiunt, & experiuntur. Quæ jam caussa? Nulla remotè alia, quam Phantasia. Hæc enim cum facultati motrici imperet, per eam spiritus & humores impellit, & suscitatur, ut eò ruant. Idem de cæteris vitiis esto judicium. Phantasia enim, præconcupiens in animo, fallacis & adparenter saltem veri, quamdam speciem, in illam pleno impetu ruit. Hinc avari efficiuntur, hinc ambitiosi reddimur, hinc etiam hæreses excitantur. Ut enim aliquid imaginamur nobis, & nobiscum concipimus: ita etiam de eo judicamus, nec facilè à conceptâ semel opinione recedimus, unde vulgò in ore omnium circumfertur: *Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.*

XXIV. Unicum addere lubet, quod rem eandem magis illustrat, magis confirmat. Quis nescit sæpè numero offerri aliquid vel visui vel auditui nostro, quod tamen, in rei veritate,

tate,

tate, neque videtur, neque auditur, sed ex metu saltem nascitur. Hinc timidis & meticulosis crebrius Spectra objiciuntur, quàm animosis: nimirum quod illi ob præconceptam in animo falsam persuasionem, talia sibi imaginati sunt; hi verò ex naturali & constanti fortitudine animi, ejusmodi terriculatorum numquam recordantur. Hinc tutò ambulamus super trabem, loco humiliori collocatam, non sine periculo super eam quæ est in loco altiori, vel etiam, super aquam profundam, loco pontis erecta, ubi Phantasia subito timore correpta, omnes spiritus intrò vocat, & ad sedem suam atque exortum ducit, & colligit, unde externa membra destituta iis, vacillant, oculi caligant, corpus labescit, genæ tremulæ pendent, tandemque præcipites corruimus. Quid? Eadem Phantasia plena timoris horribilis, juvenem quemdam nobilem, qui ob stuprum patratum, ad mortem damnatus erat, propter supplicij crudelitatem, unâ nocte, totum dedit in canitiem, ut sequenti die nemo amicorum suorum agnoverit illum; referente Lemnio l. 2. de complex. cap. 2. In eo enim capilli, quorum nutrimentum alias est vapor fuliginosus, metu dissipante, & obtundente illum vaporem, privati sunt nutrimento suo, inq; ejus locum siccam qualitatem, atq; frigidam acceperunt, unde aruere, & nativum colorem exuerunt.

XXV. Progredimur nunc ulterius & heic quærimus: *utrum Phantasia tanta sit vis, ut: queat illa morbos excitare, in corpore nempe proprio?* Sciendum itaque omnium fermè Philosophorum atque Medicorum consensu istud adfirmari, ipsâ etiam experientia calculum suum adjiciente. Verùm *quâ viâ & ratione* contingat hoc, valdè obscurum est, & difficile primo intuitu explicare. Si tamen rem altius pensitemus, nulla probabilior adhuc visa est nobis opinio, quàm illa, quæ fovetur ab *Excellentiss. Dn. D. Sennerto*, in libello aureo de Cons. & Diss. Chym. & Arist. Nimirum repetimus limitationem *per Accidens*. Ideoque id dicimus: Phantasiam *per se, nudè, simpliciter & immediatè* planè invalidam impotentemq; esse ad infligendum morbum, etiam minimum, ita ut sit causa illius proximè

Efficiens. Si enim hoc verum esset, nudusque Phantasiae conceptus morbum semper producere posset, bone Deus, quot, quantisque morbis corripere mur! Quin experimur potius contrarium, quando plurimi sibi imaginantur, laborare se aliquo morbo, cum tamen sit putum purum figmentum. Sic compertum est, quemdam persuasisse sibi *nasum suum excrevisse in tantum, ut proboscidem Elephantis equaret suam longitudinem*; sed quid magis ridiculum minusque probabile dici potest? Alius *ranas, ac bufones, in intestinis suis latere, eademque exedere opinabatur*, cum tamen rursus, nil nisi falsa erat opinio; sic quidam, *clunes ex vitro sibi conflatos dicebat*, quid quæso iterum absurdius esse potest?

XXVI. Cum ergo Phantasia per se præstare hoc nequeat, & nihilominus Sole meridiano clarius sit, multos, eosque satis graves morbos, sæpè ab eadem produci, specialiter quid possit, & qua ratione Phantasia hominem morbis obiciat, videbimus, sequentes ductum *Thome Fieni de Viribus Imag. Conclus. 37.* Primò ergo, per Accidens Phantasia causa est multorum morborum, *inducendo animi passiones, quæ morbos causant.* Exempli loco sit *timor*, tempore pestis. Sola hæc imaginatio fortis, & timor de peste crebrò deducunt ad pestem. Nam illo moventur humores isti noxij & pestilentes, qui antea sopiti quasi latuerunt in corpore. Timore enim, ut supra diximus, omnes spiritus colliguntur in unum, & ad fontem suum atque sedem, scilicet cor, remeant, quò fit, ut secum rapiant virus istud, quod hinc illinc latitavit in partibus variis, quò ad cor delato, subita statim fit mutatio totius hominis, quam non rarò mors sequitur. Ergo jam intelligendum est, pestem non in omnibus corporibus produci, sed in iis saltem, quæ jam priùs aliquid veneni, & malignitatis secum habuerunt, quod Phantasia per motum humorum excitavit. Hinc etiam plurimi tempore pestis, & multò magis extra illud, etsi valde metuant sibi, & intensè cogitent de ea, non tamen invaduntur statim ab isto contagio, quia nempe nulla adest materia, quam Phantasia per metum excitare, & movere possit.

XXVII. *Secundò per Accidens Phantasia causa est multorum morborum attrahendo in caput propter intensam imaginationem plurimos spiritus & vapores, qui ibi existentes possunt cerebrum vel calefacere, vel refrigerare, vel humectare, vel obstruere.* Ita enim comparatum est, ut Natura, uni alicui operationi dedita, illuc simul & spiritus, & calorem, & humores, & vapores derivet, usque tamquam instrumentis ad hanc rem destinatis operetur. Hinc studis dediti in deliria, vertiginem, catarrhum, similesque capitis morbos incidunt.

XXVIII. *Tertiò per Accidens Phantasia causa est multorum morborum impediendo actiones vegetativas, dum spiritus, calorem & sanguinem à partibus nutritoriis amover. Dum enim Phantasia spiritus calorem & vapores atq; humores ad cerebrum attrahit membra cætera his ipsis spoliat, unde potentiæ vegetantes in negociis suis distrahuntur, & insigniter debilitantur. Hoc iterum experiuntur litterati, quorum anima dum optimè intelligit, pessimè vegetat: oritur enim mala concoctio, mala alimenti distributio, mala aut manca excrementorum expulsio; hinc cruditates, obstructions, atrophix &c.*

XXIX. *Quartò per Accidens Phantasia causa est multorum morborum per hoc, quod actio quævis nimia & nimis diu durans, tandem organum suum fatiget, spiritus ejus absumat, & harmoniam destruat. Omne enim nimium Naturæ est inimicum. Sic nimix curæ quantum valetudini prosperæ nocere queant, totus novit mundus; nimius discendi fervor ita corpora exhaurit, ut tandem gracilescant, extabescant. Brevelongum ergo cedio dignum est; Ne quid nimis.*

XXX. *Quintò per Accidens Phantasia causa est nonnullorum morborum per hoc, quod eos parvitate sua latentes de-  
tegit, & aperiat. Sic sapius illi qui exiguo morbo laborant, nullum planè sensum ejus habent, nisi intensius de eo cogitent, quibus cogitationibus videntur demùm experiri morbum, & percipere aliquid doloris. Sic Phantasia in causa est, ut illud sensibile, quod antea non ita animadvertebatur, co-*

gitatione de eâ intensa percipiatur magis sensibile. Hinc si Phantasia circa aliud quoddam negocium internum versatur, nobis verò interea offertur aliquid ante oculos, sæpè quasi cæci non videmus illud, nec visum esse nobis, juramus. Sic si quis aliàs satis aptus sit ad oscitandum, ipsi verò interveniat aliud quiddam, cui se dulò auscultandum est, non rarò obliviscitur ille oscitationis. Hoc pariter in iratis facile est cernere, qui ex vulneribus sibi illatis dolorem non sentiunt, quia Phantasia istorum tota occupatur in lædendo vicissim alterum. Contra si liberi sumus ab aliis rebus, nullo negotio solvimur in oscitationem. Eâdem de causa, si quis inter plures, qui sunt ociosi, oscitet, profectò statim illi æmulabuntur istum, & sic unus atque alter cogetur oscitari, quia ab illo quasi monentur facere, quod prius voluissent. Hinc etiam fit, ut noctu, quando abstracti sumus ab aliis negociis, magis percipiamus dolores quàm die. Die enim varia obijciuntur nobis, quæ à recollectione doloris retrahunt nos aliquo modo, & aliò attendere invitant, ut sunt strepitus varii & clamores, colloquia item cum amicis &c.

XXXI. Vidimus hucusq; quid possit, & quatenus possit Phantasia in efficiendis morbis, placet nunc inquirere, quid & quatenus possit in morbis curandis? Sed hæc iterum limâ distinctionis adhibenda. Dicimus ergo, quod Phantasia, sicut per Accidens morbos induxit, ita etiam per Accidens illos removeat. Per se autem auferre hos numquam potest, æquè ac adferre eos nequit. Nam si hoc præstare posset, certè nemo hodie in morbum incideret, qui non cras sanus evaderet, quia nullus ægrorum reperitur, qui non diu noctuq; de pristina suâ sanitate intensissimè cogitet. Ergo plura adhuc desiderantur ad expellendum morbum: utpotè motus humorum, eorum alteratio, coctio & alia, quæ si quis Phantasiam solam perficere statuat, næ is mihi insignit erit Phantasticus.

XXXI. Posse verò Phantasiam per Accidens curare morbum & promovere ad sanitatem, cuilibet, qui vel primis saltem labiis degustavit Medicorum scripta, est notissimum.

Nam,



Nam, ut Scholzius, aph. medic. sect. 1. num. 5. habet: Oportet ægrotantibus perpetuò, etiamsi ipse desperes, salutem polliceri, neque vel deploratos animum unquam devovere permittere. Temperatura enim corporis animi adfectibus semper cohæret. Et ibid. num. 24. Spes convalescentiæ, ac constans ægri de Medico fiducia plurimum ad sanitatem amissam restituendam conducunt. Hocq; Galenus i. prognost. in se ipso expertum se esse dicit, & iccirco illum, qui novit melius persuadere, etiam melius sanare adfirmat. Hem divinum divini istius viri effatum!

XXXIII. Pergimus autem, ut perpendamus etiam *modum*, quo id efficitur. Sciendum enim, primò confidentiam & spem in ægri animo excitare gaudium & lætitiã, cum econtra diffidentia tristitiã metumque pariat. Illa porro lætitiã meatus omnes, qui antea planè clausi erant & opilati, aperit, referat & dilatat, caloremque innatum sopitum antea, resuscitat, spiritusq; reddit mobiles, adeoque totum corpus, quod antea torpidum, languidum & flaccidum erat, vegetum efficit atque firmum. In tristitiã vero omnia contrario modo sese habent. Et hæc actio sæpissime est efficacior, quàm quod agit Medicus cum reliquis omnibus instrumentis suis atque mediis.

XXXIV. Hinc etiam Phantasia ad classem Causarum per Accidens Morbum repellendi referri potest ideo, quod ob confidentiam eger de Medico conceptam, in omnibus obediãt ei, & ita libenter adsumat medicamenta omnia; diffidentia iterum contrarium secum ferat: quo fit, ut illi sæpè numero convalescant; hi verò non sic. Hinc egris aliquando conceditur usus ciborum, non adeò bonorum qui tamen exinde ad pristinam sanitatem redeunt. Et hoc bene novit Hippocrates qui dicit 2. aphor. 38. *paulò pejor, sed suavior cibus & potus meliori quidem sed ingrato præferendus*. Quæcumq; enim cum voluptate adsumuntur, ista ventriculus amplexatur, & libentius concoquit, excitato nimirum calore naturali, & facultate insitã irritata: sicuti illa quæ displicent, refugit. Eadem de  
causã

causâ mulieres picâ laborantes sæpe absque noxâ carbones, calcem, aliasque res prohibitas & noxias devorant & deglutiunt. Sed satis de his.

XXXV. Convertimus nos à proprio corpore ad *alienum*, & solliciti sumus, an in illo etiam præstare quid valeat Phantasia. Hoc jam duplex constituitur. 1. *Externum*, quod extra ambitum & superficiem corporis nostri est. 2. *Internum*, quod intra. Et heic nostra quidem est sententia, in neutro rursum Phantasia *per se simpliciter* aliquid posse efficere, illudque adficere. Nam si suum proprium corpus, ut satis percipimus, immutare nequit, quomodo quæso in alieno hoc præstabit? Actiones enim Naturales omnes *Contactu* fiunt, & si-ve is jam sit *Virtualis*, si-ve *Corporalis*, utroque tamen modo fortior erit Phantasia, in proprio quàm alieno corpore. Nemo ergo, nisi qui cerebrum in calcaneo gestaverit, persuadebit sibi, Phantasia, quæ est facultas cognoscitiva, & actionem Immanentem saltem exercet, agere posse in corpus alienum, quod tantum est causæ agentis per Transmutationem. Per Accidens tamen Phantasia etiam heic mirâ gaudere causalitate, testis est Experientia. Nam quis hodie negare audeat, illam in remotas, (non tamen remotissimas, uti *Paracelsus* volunt) res agere posse, ita tamen, ut, quidquid agat, mediante spiribus & effluviis agat. Hinc non absolum planè aut fictum censerì debet, quod de foemina menstruo laborante dicitur, quod inficiat suo intuitu specula nitidissima. Cùm enim oculi plurimis subtilissimis spiribus referti sint, verisimile videtur menstruas potius lædere & adficere per oculos, quàm alias partes. Idem de vetulis referunt, quæ itidem non nudo quidem intuitu hoc faciunt: tamen per effluvia oculorum id præstant, Phantasiâ scilicet prius movente halitus & vapores foetidos, qui ad oculos ducti ab alienis corporibus, præsertim tenellis, facile hauriri possunt. Interim in his omnibus non solùm certam distantiam, sed etiam talem dispositionem, quæ apta nata est obædire statim Phantasiæ, & suâ vi istud effectum dare, præsupponimus.

XXXVI. Occurrit heic elegans illa Controversia de  
 signaturâ fetus, ubi disceptatur: an Phantasia fetum mutare pos-  
 sit, eamque, quam debebat fetus accipere figuram propriam & con-  
 suetam, transformare, aliasque insolitas ipsi imprimere? Heic jam  
 non diu pugnabimus cum illis, qui id inficias ire audent, sed  
 saltem remittimus eos ad experientiam & demonstrationem  
 ocularem, à qua firmissima semper & certissima argumenta  
 desumi possunt. Huc tendit aphorismus ille à Laurentio  
 Scholtzio aph. Med. sect. 2. num. 73, annotatus: *Intentiones re-  
 rum conspectarum tempore generationis efficaces in genitis relin-  
 quunt impressiones.* Et ut ex innumeris exemplis quædam sal-  
 tem proferam, refert Heliodorus scriptor vetustissimus, regi-  
 nam quamdam Æthiopia atram ex marito etiam atro peperisse fi-  
 liam albam pulcramque, quod alias contra Æthiopiæ naturam  
 est: Istam autem mutationem dicit inde factam esse, quod tempo-  
 re pragnationis delectasset se picturâ quadam eleganti, in qua Andro-  
 meda & Perseus utriusque alba facie depicti erant. Sic, inquit, Le-  
 vin. Lemnius lib. 1. de complex. ca. 7. observatum est nostrâ & a-  
 vorum memoriâ, cum Imperator Carolus ejus nominis s. ex Hispaniis  
 in Belgium instructissima classe esset delatus, ac numerosa clientelâ  
 a nulloque procerum ac stipatorum adparatu has oras implevisset,  
 mulieres, quæ passim gestabant uterum, ex crebro Hispanorum con-  
 tuitu, exactis novem mensibus, decursoque anni dodrante, infantes e-  
 didisse superciliis capillisque nigris ac crispis, tum colore illi nationi  
 undique adsimili; non quidem triobolares ac meritorias, quas genti  
 fervida ac salaci se subjecisse par est credi, sed spectatae probitatis at-  
 que incorruptæ pudicitie matronas hujusmodi adfectus in se suosque  
 concepisse. Simili ratione, cum Belgis imperaret Maximilianus Cæ-  
 sar ex Pannoniis, hoc est, Austriacâ gente oriundus, fœminæ ob Ger-  
 manorum consuetudinem, ac conspectum flavis rutilisque crinibus  
 infantes ediderunt, ac Germanis prorsus adfines. Hæc ille. Et hoc  
 probè intellexit Patriarcha Jacob. Nam is dum comparare si-  
 bi voluit oves coloris multiplicis, virgas coloratas in coitus  
 fervore in potum ante oculos posuit gregibus, qui postmodum  
 conspectis his & fortiter sibi imaginatis fetus quoque tales co-  
 loratos ediderunt.

C

37. Quo-

XXXVII. *Quomodo autem fiat hoc, & quo usque se extendat ista Phantasiae operatio, amplius quaerendum? Ad hoc jam respondere etsi difficilimum sit, cum plurimis tamen hodierni saeculi Philosophis & Medicis statuumus, iterum Phantasia per se simpliciter, & absque aliis instrumentis pure aetivis fetus numquam immutare, aut iis inurere maculas insolitas posse, ob causas saepe jam prolatas, praesertim illam, quae Phantasiae actionis Transeuntis plane ineptam reddit. Nam si hoc per se praestaret, vah quis demum referret vultum hominis, siquidem matres praegnantes nunc porcum, nunc canem, nunc equum vel asinum, vel aliud quoddam objectum in oculos incurrens adprehendant & imaginantur. Imo culpandae essent Matres, quod non semper intenderent pulcerri-  
mas soboles. Ideoque ut *Conformatrix*, non autem Phantasia, per se *Causa efficiens* est fetus, ejusque coloris, quantitatis, qualita-  
tis & aliorum accidentium: ita merito eadem proxima causa  
omnis signaturae habetur.*

XXXVIII. Neque est, quod contendant, *Phantasia per suam speciem Phantasticam immutare posse fatum*. Offi-  
cium enim speciei phantasticae tantum est, *objectum suum repre-  
sentare, Phantasiaque movere*; realem vero actionem atque  
qualitatem per se in aeternum non fabricabit. Addo hoc ex  
Philosophicis fundamentis, *unum semper facere unum, & idem  
quatenus idem, non efficere nisi idem*. Hinc si species seu phan-  
tasmata praedita essentialibus facultatibus realibus aut ef-  
fectivis stygmatis, necessum foret, idem Phantasma sem-  
per producere easdem notas, sed contrarium saepe accidit,  
quando mulieres idem phantasma sibi imaginantes, & ean-  
dem rem adpetentes, diversas tamen notas atque signa in pro-  
lem inducunt. Res patet exemplis. Sint quinque mulieres,  
& prima terreatur a fele ex improvviso insiliente, tunc contin-  
gere potest, ut ejus fetus habeat faciem feli similem: terrea-  
tur etiam secunda a fele, eodem modo contingere potest, ut  
fetus illius non habeat nisi cicatrices in illo loco, in quem  
pressi fuerunt pedes felis: terreatur tertia, poterit fieri, ut ejus  
fetus

fætus nascatur pilosus in morem felis: terreatur quarta contingere poterit, ut ejus fætus nascatur cum odio naturali felium: terreatur quinta, fiet forsan, ut ejus fætus totius corporis conformationem gerat similem conformationi felis. Hi certè diversissimi effectus eidem speciei phantasticæ adscribi non possunt.

XXXIX. Quidquid itaque dicant falsi isti imaginarii, adserimus hoc, per se & immediatè Phantasiam materiale quid efficere non posse, sed quasdam, nec tamen omnes mutationes in fætum inducere mediantebus iterum *qualitatibus patibilibus animi*, nec non *motione atque latione spirituum atque humorum* causis que aliis. Variæ enim sunt illæ mutationes, nec uno tantum modo fiunt, nec unius causæ effecta sunt. Quædam enim sunt *Communes*, qualis est mors infantis in utero, aut etiam aborus, vel etiam diversæ & nullam certam ac distinctam figuram representantes notæ atque stigmata, vicia etiam certa Formatricis virtutis &c. Et hos plerumque effectus inducere potest Phantasia in fætum, mediantebus animi passionibus, humorumque & spirituum motionibus & circumerrationibus. Deinde verò dantur etiam & inveniuntur quædam notæ *singulares & distinctæ*, in quibus determinata figura, qualitas aut quantitas conspicitur, quæque alicujus externi objecti certi imaginem & effigiem præ se ferunt, utpotè pruni, cerasi, pomi, uvæ, vel etiam membra animalium, caput vel caudam representant. De his posterioribus notis aliter sentiendum, quàm de prioribus. Enimvetò Phantasia non valet eas efficere ope patibilium qualitatum, item motu aut influxu humorum atque spirituum, tamquam causis proximis. Hoc exinde probo, quia, si ejusmodi aberrationes producerentur istarum patibilium qualitatum auxilio, vel motu spirituum atque humorum, non autem mediante conformatricis virtute, quæ sic dirigitur, impressiones ejusmodi atque maculæ & notæ in nostro potius corpore fierent, quàm in alieno: sed quando umquam visum hoc ab ullo aut auditu perceptum est, hominem jam productum, & in lucem edi-

tum passum esse ejusmodi mutationes talibusque insignitum fuisse à Phantasia stygmatibus. Quid quod semper unâ & eadem ratione signaret homines, si per patibiles qualitates hoc efficeret. Ratio est, quia de diversissimis rebus imaginatio sæpâ movet eandem passionem, v. g. timor esse potest à cane, à fele, à leone, ab hoste, à tigride, à diabolo &c. ergo quia de quâcumq; specie terribili idem oritur terror quo ad speciem, etiam eadem fiet signatura à diversis istis rebus. Posterius tamen negat experientia, quia quæ terretur à cane, signat fæctum similitudine aliquâ canis, quæ à fele similitudine felis, & sic porrò.

X L. Sequitur ergò, necessariò requiri heïc aliquid, quod facultatem Formatricem retrahat, & absterreat ab incepto suo opere. Dicimus itaque, *Formatrici* hoc in loco primariam, & potissimam efficaciam adscribendam esse, quippè à qua totius corporis compages & fabricatio dependet, sive jam recta sit sive prava. Hæc enim conformat omnes partes, hæc disponit singula membra, & cuique suam debitam extensionem, suam figuram, & reliqua accidentia communicat non verò Phantasia. Nihilominus tamen Phantasia facit aberrare Conformatricem, à naturali, & consueta lege operationis, & proinde aliorsum ducit eam, scilicet ad id eam ejusmodi rei, qualem secum concepit, sibi que imaginata est fortiter, & hac ratione efficit notas ejusmodi, ut, quod cogitavit illa, demùm Formatrix det effectui. Et hoc pacto meretur Phantasia dici causa istarum impressionum, & quidem proximior, magisque vera, quàm illa, quæ à qualitatibus patibilibus desumitur.

X LI. Heïc verò iterum gravissima exoritur disceptatio, *quomodo fieri possit, ut Phantasia regat conformatricem, eique imperet, pro arbitrio suo.* Solvere nodum istum, hic labor, hoc opus est. Tanta enim vicissim sententiarum diversitas exurgit, ut vix scias, quo talo standum, aut cui subscribere debeas. Nos ut paucis expediamus nos, & explicemus mentem nostram, dicimus cum Thomâ Fieno *Conclus. 46. Phantasiam,*  
dri-

dirigere conformatricem, per species exemplariter. Sed nec ista caret suis dubiis opinio, cum jam susurrantes audiam, & objicientes mihi: quo pacto fieri hoc possit, ut Formatrix, quæ vegetativa saltem est potentia, exsequi valeat tam magnum opus, quod ferme soli rationi tamquam *ἡγεμονικῆ* est adscribendum, eò quod Formatrix dicatur agere secundum exemplar, quæ tamen non cognoscit exemplar? Procedere volunt hoc modo:

*Nulla potentia potest operari secundum exemplar, nisi sit cognitiva.*

*At Conformatrix non est cognitiva, quia est potentia vegetativa.*

*Ergo Conformatrix non potest operari secundum exemplar.*

XLII. Verum salva res est, si paulò altiùs in nos ipsos descendimus, ibique rectâ rationis trutinâ ponderamus maximam illam & insignem Naturæ potentiam, vires & efficaciam, quam DEUS T. O. M. concessit ei: mirabilis est Natura, sed mirabilior adhuc ille, qui talibus donis insignire eam voluit. Itaque, ut dicam, quod res est, bene heic notandum venit, triplicem cognitionem à Deo communicatam esse rebus, *Supremam, Mediam & Infimam*. *Suprema* solus homo pollet, illud scilicet animal,

Cui Deus os sublime dedit, cælumq; videre

Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

*Mediâ* instructa sunt reliqua bruta animantia, quibus potentias Cognoscitivas nemo negare audeat, nisi apertis oculis velit cæcutire. *Infimâ* Deus etiam vegetabilia donavit, ut & ista conveniens ab inconvenienti & noxium à salutaris distinguere queant. Hinc & rustici norunt, singula crescentia terræ cognoscere & distinguere alimentum, illudque distribuere, prout quodlibet sibi vel salutare putat esse, vel noxium. Ut verò nihil reperire licet in speciebus inferioribus, quod non excellenter deprehendatur in superioribus: ita & corporis nostri partes præditæ sunt cognitione eadem: ideoque quælibet humorem seu alimentum sibi familiare, & conveniens eligit, illud attrahit

& digerit; sic una sanguinem, altera bilem, tertia serum rapit; porro etiam alimentum ab excrementis distinguit, hocque rejicit, illud reservat, & in sanguinem succumque suum convertit & transformat. Ergo statuimus, quod Facultas Formatrix, etsi non agat juxta supremæ Cognitionis leges atq; vires, nec etiam secundum Mediæ; agat tamen pro ratione & conditione Infimæ; & ita quidem, ut præ eminentia quædam, & major vis præ reliquis vegetabilibus concessa sit ei à summo atque sapientissimo conditore, per quam cognoscat aliqua ex parte ideas phantasmatum sibi oblatorum.

XLIII. At at instant heic multi, & ulterius anxie querunt, quomodo Phantasia tamquam *ἡγεμονικὴ* facultas, quæ posita est in summâ illa arce, scilicet cerebro, Phantasma suum deferre possit Conformatrici, quæ inclusa est infimæ parti ventris nempe utero, ut juxta illud ibi quasi ad ideam & exemplar postea agat? Heic iterum occurrit disparitas judiciorum pro disparitate ingeniorum. Brevitatis ergo missis aliorum sententiis dicimus, animam in corpore toto, omnibusque & singulis corporis totius partibus, omnibus & singulis suis instructam esse facultatibus. Sæpe itaque fit, ut, quæ uno modo unâ parte movetur, & in actum deducitur potentia, illa mox in aliâ aliam moveat & efficiat, ipsum actum huc vel illuc dirigat & determinet. Sic cognoscitiva in & extra cerebrum movet adpetitivam in corde, hæc in corde porro locomotivam in pede, vel manu vel oculo &c. Recte itaque colligimus facultatem istam cognoscitivam, à quâ potentia in matre excitantur, ipsum quoque corpus Embryonis in utero latitantis variis modis adficere, & externi quidam admiscere: siquidem Embryo unum cum matre est corpus. Facilius tamen nocumentum infertur fœtui, quam matri, quia in illo omnia adhuc in fieri sunt, mollisque substantia pro recipiendis alienis qualitatibus est habilior & flexibilior. Verum matris corpus jam est absolutum & perfectum: in Embryone autem formando & delineando anima matris est occupatissima.

XLIV. Et quamvis plurimi denegent Formatrici facultate-



cultatem istam in fœtum agendi per phantasmata, statuuntque, nullo alio modo Phantasiam conceptus, & notas imprimere Embryoni, quàm offerendo ei phantasmata per validas atque momentaneas animi passiones & commotiones, quales diximus esse terrorem subitum, lætitiã nimiam, & alia ejusmodi *παθητικά*: nullo modo tamen cum istis sentiendum puto, ita ut simpliciter velimus adfirmare, phantasmata ista solum à cerebro in Embryonem in utero derivari, eique ibidem imprimi per patibiles illas qualitates, quæ ab humoribus excitantur per Phantasiã. Vis rationem? cape hanc: *Mulieres sæpe absque terrore aut etiam desiderio vehementiori, nudâ imaginatione, fœtui signa imprimunt, & vestigia relinquunt phantasmatum conceptorum.* Et hoc monstrant exempla. Nam superiori tempore natus est infans, cujus infirmi ventris partes omnes ferè extra abdomen propenderunt nudæ, instar vituli mactati, cujus mōstruosæ aberrationis causam nullam aliam dare potuit ipsa Mater, quàm quod, præter omnem metum aliumvè adfectum, vitulam mactatam intentiùs fuerat intuita. Hinc etiam puella visa est more urfi villosa, quæ non aliunde, juxta confessionem Matris ipsius, contraxerat deformitatem istam, quàm quòd Mater Johannem Baptistam depictum cum vestitu è pelle Camelina intentiùs adspexerat. Idem de Regina Æthiopiæ, de qua supra thesi 36. sentiendum. Et hæc omnia unice confirmat exemplum ovium Patriarchæ Jacob, quæ absque ullo metu, aliaque passione, ex nudo conspectu crebro, & imaginatione forti virgarum coloratarum, animã forinsecus adfectã, signarunt fœtus, eadem animã interius secum pro modulo suo formandi regulam trahente. Quod si enim abhorrissent à baculis istis, certè statim aufugissent, nec congressæ essent super iis, quod tamen, Spiritus sancti testimonio adstipulante, factum esse, quis est qui ignorat?

XLV. Nec de lanã caprinã heic erit investigare, quisnam imprimis signare possit fœtum, num Mater, num verò Pater, præsertim cum utraque opinio, & seorsim sumpta & conjuncta defensores suos habeat? Qui in utrumq; transferunt hoc parentem,

rentem, illi moventur verbis Sacrae scripturae, quando dicitur, quod Patriarcha Jacob virgas posuerit ante oculos gregis, qui tam ex arietibus constabat, quam ex ovibus. Hancque sententiam porro confirmant, & stabilunt auctoritate Plinii lib. 7. cap. 12. & ipsius Aristot. sect. 10. probl. Dicimus: *Matrem in primis fetum signare*, non verò Patrem, quia vix ullum dabitur exemplum, quo evinci queat, quod Patri istud sit impurandum. Præterea mox audiemus, potentiam istam signandi fetus rarissimè in actum deduci tempore conceptionis, sed ut plurimum gestationis. Jam verò Pater ad eam conferre nihil potest, sed sola mater hoc præstat.

XLVI. Expositis verò modis & viis, quibus Phantasia impressiones suas & mutationes in fetu instituit, declaranda etiam venit *qualitas*, ordoque monet nos ostendere, *quo usque se extendat Phantasia in signandis fetibus vis & efficacia?* Non enim credendum, quasvis formas inurere, & juxta exemplar cujuslibet Phantasmatis operari illudque imitari posse Phantasia: alias sæpe transformaretur homo in bestiam quamdam, puta felem, canem, cervum, murem, & sic porro, quia Matres ejusmodi animalia sæpe fortiter sibi imaginantur & præconcipiunt. Quare nostra est sententia: *Phantasia nullam planè mutationem efficere, nullasque notas inurere posse, præter eas, quibus exsculpendis & exprimendis materia apta est sese subicere, & cum quibus Formatrix convenientiam aliquam habet, atque ordinem naturalem.* Ideoque etsi phantasmata omnia apta nata sint imperare Formatrici, istam ducere & dirigere, ut ideas datas exprimat: non tamen statim Formatrix omnibus morem gerit, directionemque & intentionem istorum exsequitur, & modificat: quippe quæ non omnia fabricare potest & formare, sed ea saltem ad quorum impressionem materia est idonea. Notum enim est, non quodvis quodvis pati; sed omne recipiens agere ad modum suæ receptibilitatis, non verò ad modum agentis. Sic unus idemque calor indurat lutum, ceram verò non sic, sed liquefacit eam: Sic lignum, quod mollius est, nequit agere in ferrum, quod est durius. Imò præter hæc etiam  
requi-

requiritur certa determinatio, & ordo sive inclinatio atque instinctus naturalis.

XLVII. Concludimus ergo iterum, non quâvis ratione, ex præconceptâ imaginatione, Phantasiâ posse mutare factum, nec planè genus aut speciem, quanta quanta etiam sit, mutare eamdem valere, ita ut veras phantasmatum suorum species inducat, veras nempe uvas, poma, pyra, maculas alias atque stygmata, vel ut factus adsimiletur per omnia istis animalibus aut rebus, quas objecerat Phantasia. Sed dicimus, posse eam immutare. 1. *Numerum*. Sic compertum est, natos esse infantes cum quatuor brachiis, sex digitis in unâ manu, duobus capitibus &c. 2. *Magnitudinem*, quando vel totum corpus, vel quædam pars à justa magnitudine deflectit, v. g. quando producuntur infantes curtorum brachiorum aut curtorum pedum; aut cum nascuntur macrocephali, in iis locis, ubi consueta Naturæ leges id non efflagitant. 3. *Figuram*, ut quando partes quæ debebant esse rectæ producuntur curvæ; vel contra: sic nati fuerunt infantes qui faciem habuerunt pronam, vel caninam vulpinamque repræsentarunt. 4. *Colorem*. Sic producere potest in diversis corporis partibus maculas rubras, purpureas, lividas & flavescentes. 5. *Pilos aliasque excrescentias*. Sic referunt historiæ, natum fuisse infantem cum unguibus in pedibus tantæ longitudinis & crassitie, ut cornua videri potuerint. 4. *Situm partium*. Sic producti sunt infantes, quorum oculi fuerunt in mediâ fronte, nares verò in lateribus, & aures in occipite, item facies in tergo & manus adnatæ fuere scapulis. Et quis omnia fando exprimeret?

XLVIII. Tantum etiam de certis terminis Phantasiæ in efficiendis ejusmodi in consuetis operibus; necessarium itaque ducimus, non desistere ab ista via, quam semel ingressi sumus, sed pergere in ea, & relam exorsam porrò perrexere: ideoque lubet in genere heic quærere, *quonam præcipue tempore factus signari possit?* Nam & de eo inter Auctores omnes

non constat : dum quidam spacio *congressionis seu conceptionis*; alii post demum tempore *gestationis*; alii & *gestationis & conceptionis* tempore simul signaturas fieri contendunt. Nos dicimus, inprimis heic ad tempus *gestationis* respiciendum esse : quia tum demum vis formatrix incipit operari, & versari circa disponendas atque delineandas omnes partes, igitur & tum demum seduci potest. Deinde verò speciatim, quærimus etiam : *quonam gestationis tempore hæc vel illa mutationes & signaturæ fieri possunt?* Tenendum enim, Phantasiam non quovis tempore quasvis impressiones posse efficere. Nam experientia dicitur, quasdam mox in initio, quasdam in medio, quasdam etiam sub finem & colophonem ultimæ gestationis induci. Et sanè in principio, vel etiam medio majores & maximæ mutationes inducuntur, sed non sic in fine. Sic insignis membri alicujus principalis, ut capitis, immutatio, quæ caput enormiter conformatur juxta ideam vulpis, aut simiæ, aut canis, vel aliûs animalis, etiam quo ad constructionem ossium, tantum fieri potest in primis mensibus, non verò sub finem. Ratio est hæc, quia stamina illa & particulae atque portiones certæ, ex quibus ossa formari debent, in principio ita comparatæ sunt, ut pro lubitu Formatricis ita vel ita flecti & reflecti queant : contra verò in fine delineationis non ita flexibiles sunt, sed perfectam constantemque figuram adquisiverunt, ut formatrix eas liquefacere, & extendere non possit. In postremis autem mensibus leviores illæ signaturæ fiunt, nec ita crasse exorbitare valet Formatrix per Phantasiam seducta. Tales sunt plerumque excrescentiæ quædam & tubercula, varias fructuum aut aliarum ejusmodi rerum imagines adumbrantia & referentia. Et his fundamentis nixi facile destruere possumus fabulosam illorum sententiã, qui adfirmant, *comparari posse pullos variegatos, si ova pingantur variis coloribus in excubatione, aut si matri incubanti obtrudantur linteamenta multiplici colore sparsa*: quasi jam post exclusionem ovi gallina aliquid amplius conferret pullis, præter id, quod calore suo foveat ova, ut forma, in semine contenta, esse possit actualis.

**XLIX.** Ex dictis satis superque constat, quæ sint vires Phantasiæ in signandis, & immutandis, factuum corporibus. Sed, ecce, instant, nosque in limo hæsituros putant, si objiciant, *quæ fiat quod non semper, nec omnis imaginatio signet factum?* His occurrimus jam, & respondemus: In omni signatione multa simul debere concurrere, nec seorsim unum, atque alterum desiderari, sed omnia conjunctim. Ideoque opus est, ut phantasmata sint potentia, & firmiter concepta; præterea necessum est etiam, ut uno momento quasi, deferantur ad Facultatem Conformatricem; Ipsa quoque Conformatrix sit valde obscura, debilis, atque labilis, quæque facile deviare potest, & seduci; insuper materia, quæ impressioni inservit, & loco Subjecti est, apta, & sufficiens sit. Hæc omnia verò, quia rarissimè conjuncta reperiuntur, mirum non est, cur rarò fiant factuum signaturæ. Causâ enim frequenter in actu positâ, frequens est effectus; & contrâ.

L. Et hæc de Phantasiæ viribus sufficerent, nisi adhuc dubium quoddam de brutis sese offerret. In iis enim quæ hactenus dicta fuere, vel semper, vel ut plurimum respeximus ad hominem. Jam ergo quæritur, *an Bruta etiam factum signare queant?* Ubi quidem non pauci sunt, qui imaginationem plane derogare brutis audent, contra quos sic colligimus:

Quæcumq; animalia à Deo prædita sunt sensibus externis, illa etiam pollent imaginatione.

Atqui Animalia bruta (si non omnia, tamen plurima) prædita sunt à Deo sensibus externis.

Ergò illa etiam pollent imaginatione.

Connexio Majoris probatur, quia sensus Externi sunt propter internos, & in specie propter Phantasiam. Ideo enim, vident, audiunt &c. ut bonum adceptent, malum fugiant, quod sine Phantasiæ judicio esse nequit. At dicunt: *cur Phantasiæ quidem tribuendum istud judicium, & non ipsis sensibus Externis?* Respond. Ideo quod Sensibus Externis non datum est de objectis suis judicare. Et sanè moveat quemquam, quod Ari-

forteles tradit lib. 4. de hist. animal. cap. 10, & Plinius lib. 10.  
 nat. histor. cap. 75. compertum esse, præter hominem etiam  
 somniare equum, bovem, canem, capram, & denique genus  
 omne quadrupedum & ovipararum, quod privatim in cani-  
 bus declarat ipsorum latratus per quietem. Jam numquam  
 somniarent ista animalia, nisi haberent in somno occurrentes  
 rerum imagines & phantasmata reservata in interno sensu.  
 Nam ista omnia sine imaginatione fieri non possunt. Notan-  
 dum tamen & distinguendum inter Phantasiam hominis &  
 brutorum. Hæc scilicet brutorum, numquã tantæ est efficacis,  
 quàm hominis: quia homini, tamquam nobilissimæ creatu-  
 ræ, data est à Deo hac in parte excellentia quædam præ reli-  
 quis animantibus. Deinde etiam sciendum: Phantasiam istam  
 in uno genere animalium semper fortiolem esse, & magis  
 conspicuam quàm in altero. Et hanc dicimus esse causam,  
 quod tam rarò eveniat, ut bruta signent fetus suos. Signare  
 autem eos, exemplo sunt oves Patriarchæ. Sic cuniculi etiam,  
 si cistæ diversi coloris includantur, fetus edunt referentes co-  
 lores, quibus depicta intus erat cista.

LI. Ergo jam hucusque dictum est fusiùs, quidnam  
 possit Phantasia, & quo usque sese extendat illius Efficacia:  
 nihil nunc restaret amplius, quàm ut etiam, *quid non possit*,  
 explicaretur: ubi potissimum examinandæ, & ad iudicii tru-  
 tinam expendendæ venirent crassissimæ illæ Paracelsistarum  
 opiniones, ut dispalesceret, quàm valdè dogmata illorum  
 transgrediantur, stateram veritatis. Verùm cum illa *ἀλογα*  
 sint & stolidæ, fermè digna non censentur refutatione ullâ.  
 Interim ut tanto magis risui saniorum exponantur, quædam  
 recensere saltem lubet, nec tamen omnia. Ea enim varia sunt,  
 tam variè etiam conspurcata, ut non plus stercoreum in Augiæ  
 stabulis fuerit, quàm heic absurditatum. Dicunt: *imaginatio-*  
*nes nostras ad cælum elevari; eosque inspicere; nos per imaginatio-*  
*nem nostram cogere posse cæli sidera; gravissimè decumbentes, & tan-*  
*tum non mortuos per Phantasiam Medici optimè posse sanari; a-*  
*liorum doctrinam & prudentiam fortiter ad se evocari posse; imagi-*  
natio-

nationem esse Magnetem attrahentem ultra mille milliaria, quid-  
quid vult, & operari miracula; imaginatione fortissimâ advoca-  
ri posse Spiritum, nunc Medicum, nunc Philosophicum, nunc Ma-  
thematicum, nunc Physicum, nunc Politicum, nunc Theolo-  
gum &c.

LII. Hem hæc sunt absurda illa Paracelsistarum ab-  
surdissima, vel per somnium nata, vel adflatu dæmonis cujus-  
dam, malique Spiritûs, in Angelum lucis transformantis se-  
se, quique in ultima hac mundi senectute, variis modis, ten-  
dit nobis retia sua, & illaqueare nos iis tentat; hæc scilicet  
est κακοζήλεια Diaboli, opera, & miracula divina, sibi arro-  
ganter adscribentis. Hæcque jam diu ante hæc nostra tem-  
pora tractata fuit ab Artabel, Trithemio, Cornelio Agrippa,  
aliisque Necromanticis, qui strenuissimi dæmonum culto-  
res fuerunt; hi quasi per manus tradiderunt porro aliis, & pro-  
pagarunt eam usque ad hodierna sæcula, ubi iterum de novo  
quasi reformata publicè in lucem prodiit, plurimosque ama-  
sios habuit, & adplausores, & quidem sub specie plausibili  
veræ, & sanioris, vel Chymia, vel Magia. Plurimum verò in  
ea excelluit Theophrastus Paracelsus, de cuius vitâ planè dif-  
soluta, & religione, ut plurimum ethnica, & ex pluribus hæ-  
resibus conflata, nihil hoc in loco dicam. Nostrum est vita-  
re doctrinam hanc, ceu malum cane pejus, & angue.

Mali enim corvi, non nisi malum

ovum.

Tantum.

SOLI DEO GLORIA.

D S

AD



Ad

Præstantissimum & Doctissimum Dn. RE-  
SPONDENTEM.

\*Περὶ εὐχῆ  
μοσύνης.

**P**hilosophus. Medicus superis equalis habetur  
Testis ut Hippocrates, \* Dux Medici ipse  
chori.

Hoc utrunq; etiam, GOTTFRIDE, tibi hæcenus  
esse

Cura, præsentis cerno probare theses.  
Sic igitur Medicina dabit tibi præmia quondam,  
Et poteris similis dicier esse Deo.

Joan. Georgius Pelshofer,  
Medic. D. & Profefs. P.

---

**Q**ui non ante diu causas penitusq; re-  
celsus

Naturæ evoluit sedulitate probâ,  
Hunc nunquam medicas tractare fideli-  
ter artes

Posse, hoc compertum est jam tibi,  
Amice, satis.

Quo-



Quocirca Physicas latebras percurrere  
doctè

Attentas, deq; his publica verba facis.  
Perge age sic semper clarosq; imitare me-  
dentes,

Sic clarus fies & Sophus & Medicus.

*Amico suo fraternè dilecto gratulabundus,  
fac.*

Carolus Sigismundus à Littwitz  
Eq. Sil.

---

**Q**uid verbis, opus est doctrinam extollere, multis,  
Geriti, insignem, frater amande, tuam?  
Res loquitur; scandis nam nunc ad docta sophorum  
Pulpita, certamen per placidumq; subis.  
Fausta tibi tua succedant conamina, & inde  
Laudum olim capias premia digna, precor.

Raptim

*deprop.*

FRIDERICUS ADAMI  
Breslâ-Sil.

**F I N I S.**

Quocirca supradictas litteras per  
dominice  
Attentius deo. his publica verba facit  
Pergeat sic. super clero. nuntiat me  
deper  
Sic clarus hic & Sophus & Medicus.  
Carnus Sigilmandus  
Ep. 21.

Quocirca supradictas litteras per  
dominice  
Attentius deo. his publica verba facit  
Pergeat sic. super clero. nuntiat me  
deper  
Sic clarus hic & Sophus & Medicus.  
Carnus Sigilmandus  
Ep. 21.

FRIDERICUS ADAMI  
Boni 21.

F I N I S



05 A 1767

ULB Halle  
003 785 84X

3




1007

201







EXERCITATIO PHYSICA, . 12  
De  
Phantasia ejusq; Vi-  
ribus admirandis,

Quam

SUPREMI NUMINIS GRATIA ANNUENTE

*In inclyta Leucorœa*

SUB PRÆSIDIO

*Viri Clarissimi, Doctissimi & Eximii*

Dn. M. JOHANNIS Sperlings

Lauchâ-Thuringi, Præceptoris & Fautoris  
sui plurimum honorandi,

*Publicæ ventilationis causa ad placidam*

*συζήτησιν proponit*

GODOFREDUS GERITIUS

Bregâ-Sil.

*Ad diem 19. Martij horis antemeridianis.*

In Acreoaterio Philosophorum.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTHII, Acad. Typogr.  
ANNO M DC XXXI.